non in aliis ecclesiis excepta patria ordinetur. Non per contrarium sensum colligitur et e. c. III. Maxime non
non et in patria. tamen aliquo mediante. ut I. e. ex tue insinuatione. s.

Post impedimentum turpis originis agendum est de vili origine. scilicet de impedimento conditionis.
Servilis enim vilitas clericalem non accipit dignitatem. ut di. LIV. Admittuntur. Videamus
ergo qualiter servus possit ordinari. quamvis sit de his qui sine manumissione ordinantur. quid
sit manumissio. quis manumittere possit et quando. Illis autem ordinari potest non manumit-
titur. id est liber efficiatur. porro manumissus aliquando est liber ecclesiae. aliquando privati. liber ecclesiae ordi-
nari potest retento iure patronatus. ut XI. q. II. Diaconi. liber vero privati ordinari
non debet nisi plenam acceperit libertatem a iure patronatus liberatus. ut di. LIV. Quicumque. Qui vero sine
manumissione ordinatur aut sciente domino aut ignorante. Si sciente et non contradicente non revo-
catur in servitutem. ut di. LIV. Quis autem. Si vero domino ignorante ordinatus sit. infra annum
tamen potest revocari nisi sit sacerdos. ut di. LIV. Ex antiquis. vel si fuit monachus factus.
infra triennium revocari potest. ut di. LIV. Si servus. et XVII. q. II. I. Si quis cognitus.
Nunc quid sit manumissio videamus. Manumissio est datio libertatis. Manumittere potest
qui suarum rerum habet administrationem. Minor etiam qui iam XX. annum complevit inter vivos
libertatem dare potest. ut C. qui manumitti non possunt. Si minor ultima voluntate. ex
quo testificari potest et manumittere. ut Inst. an. ut sponsalia. X. q. I. coll. IX. Fit autem
manumissio multis modis. in secreto dicente domino. esto liber. coram iudice. quae dicitur manumis-
sio vindicta. et si ad hoc fiat ut manumissus ordinetur potius debet fieri coram ecclesia
eo quod coram iudice saeculari. ut I. e. c. I. Item manumittuntur in ultima voluntate et direc-
te et per fideicommissum quae omnia plenius in C. l. VII. inveniuntur.
Impedimentum inordinationis si quis fuit ad ratiocinia obligatus non debet ordinari nisi post
rationes eiusdem redditas ut in tit. isto declaratur.

Audivimus de impedimento originis. nunc de impedimento irregularitatis
agamus. quae est in corpore vitiatis et bigamis. et primo de corpore vitiatis inquirentes qui or-
dinari prohibeantur. et qui possint ordinari. et quidem non hi vitiati propter deformitatem prohi-
bentur. Possunt tamen quaedam ex eis commoveri. Horum enim alii debilitati alii muti-
lati. Debilitatum dico qui membrum habet sed inefficax. ut oculum caecum. manum aridam. crus
contractum. Mutilatum qui aliquo membro caret. ex debilitate claudum admittit ecclesiae
consuetudo. Mutilati vero alii in apparentibus alii in magno membro aut in parvo.
Magnum dico in quantitate ut manum. vel decorem ut oculum vel nasum. Mutilatus in non ap-
parentibus ordinari potest. ut castratus. ut di. LV. Si quis a medicis eunuchus. Si quis per eg.